NOBILI ET EXIMIO ADOLESCENTI NICOLAO DVRETO

MICHAEL SEGVYN S. D.



NON potui nominis auſpicatioris præſidium optare quàm tui (Adoleſcens nobiliſſime) *in ea potiſſimum arena, in qua auus tuus olim, patérque tuus certamine pari totius caueæ plauſum meruerunt: vtérque merito deinde ſuo ad eam prouecti celebritatem, vt Dureti nomen non iam doctiſſimorum medicorum, ſed ipſius AEſculapij nomen eſſe videatur. Quod ſi quis etiam in eiuſmodi nuncupatione cultus ac honos teſtatus relinquitur, certè nomen ſpectare non debui aliud, ſiue clariſſimi parentis tui in nos beneficia recorder, ſiue tuam, quæ paternæ ſuccreſcit, beneuolentiam. Obliuiſci nefas quod ille, cum Medicinam è regio pulpito multos per annos maximâ auditorum frequentiâ profeſſus patris quoque ſui laudem exæquaſſet, tandem emeritus, honorificæ illi prouinciæ patrem meum ſucceſſorem eſſe voluerit, atque,* Vt gerit incoctum generoſo pectus honeſto, *non hodiernis moribus, ſed ex veteri militiæ formula, vir virum legerit. Glorioſum nobis fuit tanti viri iudicio ad hoc regium munus deſtinari: glorioſum illi quod verè munus eſſe voluerit, & ſtipendiis regiis gratuitâ beneficentiâ amicum hominem amicitiæ ergò ſubrogarit. Tam inſignis gratiæ monimentum tranſibit ad hæredes, & partem quoque tuam iure tuo repetes. Tu inquam* (Adoleſcens nobiliſſime) *quem auitarum paternarúmque virtutum hæredem fore omnes coniiciunt, qui indolem norunt tuam, velocémque rerum ante pilos prudentiam. Quò & minus mirum videri debet, ſi & hos tecum ſermones per epiſtolam contulerim, & hæc tibi medica theoremata noſtri pignus amoris obtulerim. Sic neque puduit olim legatos à rege Perſarum miſſos cum Alexandro Macedone de rebus ſeriis colloqui, miratos magnopere quod nihil puerile aut abiectum ſaperet, ſed & de locorum ſitu percunctaretur & intercapedine, déque rege ipſo Perſarum, quibus eſſet aduerſus hoſtes inſtructus copiis, quid conſilio poſſet, quid manu. Nempe vt aquileges ex ſublatis humo manè vaporibus deliteſcentem intus ſcaturiginem deprehendunt: ſic & qualis prouectior ætas futura ſit, prima ferè infantia indicat. Tu quidem* (Adoleſcens nobiliſſime) *iam nunc magnam de te expectationem præbes Iülo Virgiliano ſimillimus,* Ante annos animúmque gerens curámque virilem. *Faxit Deus vt, ſpe tanta paulatim matureſcente, fructus virtutis tuæ vberrimi parentum aliquando canitiem conſolentur. Vale, & me ama, vt facis.*

AD CARDINALITIAM

QVÆSTIO MEDICA, MATVTINIS CONCERTATIONIBVS DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS VLTIMA APRIL. 508

MAGISTRO NICOLAO ELLAIN DOCTORE MEDICO, MODERATORE.

Vtrum in acutis raro purgandum?

EADEM eſt ratio contrariorum. Naturæ actionum deſtructor morbus, qualitatum peſſima, iiſdem profligatur modis, quibus benefica ſanitas earumdem perfectrix ſarta tecta tenetur; eorum videlicet, quæ in corpore continenter partim exuperant detractione, partim deficiunt adiectione. Quanquam ſanitatis conſeruatio ſimilium vſu dirigitur; morbi verò duellum contrariis æqualibus dirimitur. Vt autem ſanitate fruentibus ſucci laudabilis & in eorum naturam mutabilis copia, excrementíque paucitas ineſt, ægrotantibus contrà: ſic in illis πέψις elucet ad rerum conſocialium aſſimilationem, in his πεπασμὸς ad contrariarum exitui deſtinatarum alterationem exoptatur. Nunquam crudis humoribus Natura morborum Medica ſeſe ſalutariter exonerat; propterea Medicus illius miniſter & imitator crudorum excretionem arte tentare non debebit.

CVRANDI ratio quidem omnis alieni humoris vacuatione & corporis è natura egreſſi redintegratione abſoluitur; ſed humorem cathartico, praua vtentibus diæta laborioſo, ſanis atque euecticis tutum ſanitatis apicem adeptis, etiam damnoſo, expurgandum ante mouere nefas quàm mitificatus fuerit: ni quaſi furore percitus atque ferociens huc illuc tumultuariè excurrat, parti cuipiam principi non ſine vitæ diſcrimine ruinam & exitium minitans, quod vbi contigerit ἀθήμεζον foras eliminandus. Ineuntibus morbis cùm infirma ſint omnia, ſi quid educendum videtur, educ; vigentibus cùm vehementiſſima, quieſcere ſatius eſt. Τὸ σωίολον purgationis καιρὸς Medicis methodo addictis ex pepaſmo in diuturnis & orgaſmo in acutis depromitur.

ENIMVERO in acutis, quantumuis celeriter, continenter & vehementer ſua percurrant tempora (percurrunt autem omnia morbi ſalutares, non item funeſti) rarus fit humoris efferi de parte in partem tranſcurſus. Phrenitis ex cerebri bile perfuſi inflammatione, cum alba & pellucida vrina lethalis, cum inſomniorum perſpicuitate ἀέλπιστος: Lethargus pituitæ putris cerebrum velut inebriantis ſoboles, à febre inſeparabilis, poſt phrenitidem inſuperabilis: Anginæ triplex genus ex laryngis & faucium phlegmone, vnde cita mors venit aut victoria læta: Σταφυλὴ, cuius periculoſa reſectio eſt: Pleuritis, ſiniſtra deterior, ſicca grauiſſima, in ructu acido rara: Peripneumonia, quæ ſi ſuccedanea, grauior eſt primigeniâ: denique hepatis & veſicæ inflammationes acuti morbi perhibentur, quorum ὕπαρξις in humore partibus intimis affixo non fluente nedum furente poſita eſt. Acutarum & ardentium febrium liquida materia facilè μετάῤῥυσιν, vix orgaſmum habere poteſt vaſis concluſa & reliquis humoribus confuſa.

EDVOBVS magnis magnorum morborum remediis, phlebotomia purgatione prius, tutius, generalius, vnicum eſt acutorum curationis ἡγεμονικὸν, inchoatam à concitata fluxione ſyſtrophen reprimit, oppreſſionem exoluit, temperamenti atque complexionis ſymmetriam reducit. Pueris, ſenibus, grauidis, vacuis, An etiam fluentibus menſibus? Luna ſilente, plena; noctu, interdiu; neglectis Aſtrologorum placitis, pro morbi magnitudine & virium modulo, interdum ad animi deliquium vtiliter decernetur: cui purgationis vicarium Enema & præmitti & ſubiungi commodè poteſt. Atque his cum tenui & exquiſito victu ad ſtatum vſque ineunda curatio. Aſt vbi ſeſe criſeos tempeſtas efferet, à rebus agendis Medicus abſtinebit, naturæ totum relinquet negotium, quod ſi illa confecerit, & ad exitum perduxerit, pacifica ſanitas poſtliminio reuertitur; ſin defecta criſis fuerit, cacochymiæ ſuperſtitis reliquię relapſum alioqui facturę commoda purgatione exigentur.

CÆTERVM pharmacia, humoris qualitate moleſti per catharticum vacuatio, quò natura vergit & humor, viis vtiliter eò ferentibus molienda: hyeme per inferiora potiùs, æſtate per ſuperiora: ſed tabidi, quibus & ver & autumnus malum, nunquam vomitione purgandi. An ſomnus ὑποφαρκαδόρποις remedium aſſumpto pharmaco concedendus? Cathartici genus cacochymię ſpecies indicabit, non enim quoduis æqualiter omnes humores prolicit, nec ante vacuationem eoſdem generat immutátve, ſed ſibi duntaxat familiares trahit (non calore, non vacui fugâ, nec ſimilitudine temperamenti, ſed ſubſtantiæ, qua partes cognatum alimentum de maſſa ſanguinis alliciunt) bilioſos χολαγωγὸν vt ſiliqua ægyptia & rheum barbarũ, pituitoſos φλεγμαγωγὸν vt agaricus, melancholicos μελαναγωγὸν vt ſena, ſeroſos ὀῤῥαγωγὸν vt roſarum pallidarum ſyrupus. Quibus omnium ex omni corporis parte humorum expurgationi ſatisfieri poterit; huic autem nullus in acutis, niſi materia turgeat, vel à criſi ſuperſit, adhibitóque priùs maturo iudicio locus eſſe poteſt.

Ergo in acutis raro purgandum.



Aſſerebat MICHAEL SEGVYN Pariſinus. A. R. S. M. DC. XV.